

præter auctorum opinionem. De Puffendorffio tamen aliter sentire non possumus, quam hac eum mala intentione scripsisse, ut statui Religionis Catholicæ noceret. Hoc enim ipsemet diserte loco non uno profitetur. Verum hanc rem, & quædam in D. Wolfio pestifera, quædam lubrica & ad malum proclivia in *Larva detracta* exposuimus, Cap. XVI. & XVII.

ALTERUM quod examinandum restat, METHODUS est SCIENTIFICA, quam D. Wolfius non saltem promittit, sed de qua sibi unice plaudit, sibi cum discipulis suis (qualis est D. Chladenius, de quo in fine Diatribæ in *Conclusione*) triumphat, ceterosque ante se omnes, Catholicos præcipue doctores, nihil prope vidisse methodi defectu, sed ante victoriam, ut ego quidem existimo, cantat.

Ita sane existimo, & opella hæc palpandum, ni fallor, dabo, eam methodum, qua hic usus D. Wolfius est, NEC METHODUM REVERA ESSE, NEC OMNINO SCIENTIFICAM.

Qua in re ne turbida vestigia Wolfiano more premamus ipsi,

Incipiendum est nobis (ita enim sapiens Tullius omnibus sapientibus usitatum ac necessarium esse prodit) incipiendum, inquam, est à definitione duplici, firmoque loco statuendum. Primo QUID SIT METHODUS? Dein QUÆ METHODUS SIT SCIENTIFICA, quæque deceptorica, spuria, à scientia impediens?

## CAPUT I.

### Quid sit Methodus?

1. ΜΕΘΟΔΟΣ Græca vox significat Latinis 1<sup>mo</sup>. *Viam*. 2<sup>do</sup>. *Rationem* seu *Artificium*, *Structuram*. 3<sup>io</sup>. *Compendium*. Videatur Stephani Thesaurus linguæ Græcæ verbo *ὁδός*.

2. Cum VIA dicitur, non intelligitur quælibet inter Principium & finem distantia: Sicut cum Viam ad Venetos dico, non intelligo nudam illam lineam mathematicam, quæ à Ratisbona Venetias protenditur. Hac enim etiam ostensa, si per eam incedere velim, difficillimum ac forte invium habeo iter: Iter autem invium dici *Via* haud sane potest. Via igitur, ut sit methodus, id potissimum debet habere, quod Tullius

lius

lius in Bruto ait: *Habent enim, inquit, quasdam IN DISCENDO NON PATIENTES ERRARE vias*. Nimirum ea vere est via, quæ me non patiatur evagari, quæ non deducat in multa diverticula, quæ limitibus quibusdam confringatur, quæ signa certa disposita habet, quæ me continent intra rhombum, ut ajunt. Vel maxime autem *via* tunc recte dicitur, si non uni soli servit, sed omnibus succedere volentibus eadem signa æque fidi indices sunt. Exemplo rem declaremus. In Libyæ desertis, quemadmodum tradidere Geographi, *via* non est, tametsi penetrari per ea possit: non enim ibi limites, non vestigia constanti ordine posita, non alia signa. Itaque qui per ea iter agunt, oculus non desigunt ad arenas confusas, sed ad astra, quorum ordinatus est positus. Adeo verum est, ut nullis positis signis, quæ sequaris, nulla sit via.

3. Quodsi dein per *Methodum* intelligatur RATIO, ARTIFICIUM, STRUCTURA, eodem modo non quidvis quomodocunque profusum significatur per illas voces; sed aliquid certo or-

dine digestum, certis regulis exactum, in certa membra dispositum. Rursus id exemplis declarabo. Qui aratrum jam in medio agro, jam per marginem, jam extra ipsum agrum traheret, *ratione* uti in arando non diceretur; quia ordine certo non procedit. Qui horologium confecturus non ante designaret, quot numero rotas, & in iis quot dentes, atque sic porro, fabricari oporteat; sed jam parvas jam majores procuderet, etsi singulæ forent limatissimæ, is *arte* profecto careret aut saltem arte non procederet, in laborando. Qui domum structurus lapidem lapidi, saxum saxo superimponeret, quantumvis omnia egregie essent dedolata, haud efficeret *structuram architectonicam*, nisi & in profundum, & in largum & in omnia membra *certas* mensuras servet, partesque designatas habeat.

4. Jam ut methodus sit COMPENDIUM, debet declinare ambages, debet superflua recidere, debet animo natura sua vago circumscribere limites certos, neque ansam evagandi offerre. Sic qui per vastam sylvam penetraturus ad omnem quercum subsisteret, omnes vellet palpare, atque assidue retro & in omnem

A 2

par-



partem circumspectare; eum tu *compendio* ire ne dixeris: Forte emerget nunquam: forte ad stipes multos offendet pedem & nasum.

## CAPUT II. Quid sit, methodum esse SCIENTIFICAM?

1. Ipsum scientifici etymon non finit nos dubitare; Est enim SCIENTIAM FACIENS, five, faciens scire. Qua propter, quæ in errores inducit methodus, ea scientifica non est; si modo errores ex ipsa methodo nascantur, non ex utentis defectu.

2. Est autem SCIENTIA strictè dicta *Cognitio rei per causas necessarias*. Excepta scientia quam vocant *Intuitivam*, quæ res non in causis, sed in se ipsis cognoscit; sed quæ rara est in mortalibus avis aut nulla. Alia porro scientia minus stricta, scientia tamen, est *Cognitio per causas certas* saltem moraliter, ubi argumenti seu materiæ indoles alias non præbet humano intellectui.

3. Scientia porro cum sit duplex, *Actualis* & *Habitualis*, quaeritur, quam earum efficere me-

thodus scientifica debeat? *Actualis* scientia invenitur & absolvitur in uno solo actu, uno solo syllogismo. Contrà *Habitualis* consistit facilitate multos actus demonstrativos eliciendi circa idem objectum.

4. Ad quaesitum ergo respondeo. 1. Methodum non efficere neque actus particulares scientiæ, neque habitus. Sicut via non facit terminum, nec facit adventum ad terminum. Sicut etiam *regula, ordo, compendium* non faciunt domum: sed hæc sunt modi, ac media, quibus rite applicatis posit perveniri ad effectum.

5. Respondeo *secundo*: Methodus vera facit, ut in investigatione cujuscunque obiecti si eam viam insistam, possim per conditiones ac dispositionem. 1. *facilem*, 2. *sine ambagibus*, 3. *certam ac 4. constantem* pervenire ad cognitionem obiecti propositi: quemadmodum via præbet occasionem facilem, sine circuitu, certam ac constantem, qua si utaris, possis pervenire ad terminum tibi propositum.

6. His ita constitutis si ego sub oculos posuero, illum *modum tractandi*, quo usus est D. Wolf-

Wolffius in Philosophia practica, aut aliqua, aut pluribus, aut omnibus quatuor conditionibus methodi scientificæ destitui, tum vero sponcione me mea exolutum præstitero. Quod utrum mihi contingat, æquum lectorem judicem facio, ac talem, qui mundo, scientiarum ita dictarum diversissima farina jam propemodum obruto, consepultoque compatiatur.

## CAPUT III. D. Wolffii modo inve- stigandi Philosophiam practi- cam deest Prima Conditio methodi, nimirum FACILITAS.

### Prima probatio. EXPERIENTIA.

1. Provoco ad experientiam non multorum, illorum nempe, qui famæ præconcepta inefcati solum Wolffium legerint, aut novandi cupidine cetera fastidire cœperint: Sed provoco ad faciendum cum cura periculum.

2. Axioma usu semper approbatum habet: *Contraria juxta*

*se posita magis elucescunt*. At methodum didacticam D. Thomæ & Scholasticorum oppositam esse Methodo Wolffianæ nec ipsi Wolffii affectu dissimulant. Quamobrem si quod argumentum ita ob oculos ponamus, ut hinc idem à D. Thoma tractetur, inde idem tractetur à Wolffio, hoc experimento poterit constare, utra tractandi ratio plus habeat facilitatis, utra sit impeditior?

3. In Exemplum igitur sumatur materia quæ, mihi forte fortuna occurrit, de IGNORANTIA *quatenus ea est causa peccati*, celebris oppidoque necessaria pro Jurisprudencia naturali. Eam D. Thomas pertractat; 1. Ildæ, Quæst. LXXVI.

Postquam enim Quæstione LXXV. De causis peccatorum in hunc modum inquirendum dixerat: Considerandum est de causis peccatorum.

Et primo quidem in generali, Secundo in speciali.

Circa primum quaeruntur quatuor:

§. *Primo* utrum peccatum habeat causam,

A 3

§. *Se-*



§. *Secundo* utrum habeat causam interiorem.

§. *Tertio* utrum habeat causam exteriorem.

§. *Quarto* utrum peccatum sit causa peccati.

Hæc inquam cum in quatuor articulis eleganter pertractasset. Deinde aggreditur rem de qua exemplum methodi sumimus hoc modo.

**D**e peccatis deque eorum causis cum ex Wolffio erueret aliquid volo, videor mihi aquam cribro haurire.

Igitur necesse mihi erit ex omni illa Philosophia Practica primæ partis, quæ actionum humanarum bonarum ac malarum theoriam tradere profitetur, ea undique piscari, quæ ad hoc argumentum de ignorantia in peccatum influxu pertinere possunt. Proferam ea ordine illo, quo in libro Wolffii dissita jacent atque dispersa: id quod me coëgit totum librum denuo ingenti cum tædio percurrere à capite ad calcem. Sic ergo incipit Wolffius.



## DIVI THOMÆ.

## Quæstio LXXVI.

De causis peccati in speciali, in quatuor articulos divisa.

Deinde considerandum est de causis peccati in speciali.

Et

## WOLFFII.

## §. 12.

Actiones tam animæ, quam corporis dicuntur naturales vel necessariæ, quæ per essentiam & naturam animæ & corporis determinantur: *Liberæ* autem appellantur, quæ per essentiam & naturam animæ ac corporis non determinantur

Et primo de causis interioribus in speciali. *Secundo* de exterioribus. *Tertio* de peccatis, quæ sunt causa aliorum peccatorum.

§. *Prima* autem consideratio secundum præmissa erit tripartita: Nam primo agatur de IGNORANTIA, quæ est causa peccati ex parte rationis.

§. *Secundo* de infirmitate feu passione, quæ est causa peccati ex parte appetitus sensitivi.

§. *Tertio* de malitia, quæ est causa peccati ex parte voluntatis.

Circa PRIMUM quæruntur quatuor.

§. *Primo* utrum IGNORANTIA sit causa peccati.

§. *Secundo* utrum IGNORANTIA sit peccatum.

§. *Tertio* utrum totaliter à peccato excuset.

§. *Quarto* utrum diminuat peccatum.

Articulus I,

terminantur, sed à libertate animæ pendent.

Discrimen actionum necessariarum & liberarum probe attendendum venit, ut intelligatur, quænam actiones homini imputari possint, & quantum imputandæ veniant; tum etiam ut moralitatis fundamentum actionum liberarum intimius perspiciatur: unde pendet totum jus naturæ, quemadmodum ex sequentibus clarissime elucescet. Ita secretio urinæ in renibus est actio naturalis, cum à libertate animæ minime dependeat, sed per structuram renum & naturam corporis determinata sit, ita ut renes eandem fecerant, sive anima velit, sive nolit, nec solo imperio in secretione ista pro arbitrio suo quicquam immutare valeat. Ast si manu alterum percutio injuriam mihi factam vindicaturus; & volitio animæ, qua fertur in hunc motum, libera est, & motus manus percutientis liber dicitur quatenus absque libera voluntate non daretur in corpore, & per eum desiderium animæ expletur. Similiter motus cordis actio naturalis est, cum per structuram cordis & naturam corporis humani determinetur, ut cor moveatur, sive homo velit sive nolit, nec



## Articulus I.

Utrum ignorantia possit esse causa peccati?

Ad Primum sic proceditur. Videtur, quod ignorantia non possit esse causa peccati. Quia quod non est, nullius est causa: sed ignorantia est non ens, cum sit privatio quædam scientiæ: ergo ignorantia non est causa peccati.

§. 2. Præterea, causæ peccati sunt accipiendæ ex parte conversionis, ut ex supra dictis patet (Quæst. LXXV. Art. I.) Sed ignorantia videtur respicere averfionem. Ergo non debet poni in causâ peccati.

§. 3. Præterea, omne peccatum in voluntate consistit, ut supra dictum est (Quæst. LXXIV. Art. I.) Sed voluntas non fertur, nisi in aliquod cognitum, quia bonum apprehensum est objectum voluntatis: Ergo ignorantia non potest esse causa peccati.

SED CONTRA est, quod Augustinus dicit in libro de natura & gratia (Capite 68, ante med.)

nec quicquam solo imperio in eodem pro arbitrio suo immutare possit anima. Ast haustus vini actio libera vocatur, quatenus à volitione animæ, quæ libera est, dependet, ita ut vinum non biberetur, nisi vellemus.

§. 13.

Quoniam anima libera est in volendo ac nolendo (§. 942. Psychol. empir.) omnes volitiones & nolitiones animæ, hoc est, actus omnes appetitus & averfationis rationalis (§. 882. Psychol. empir.) sunt actiones liberae (§. 12.)

Nimirum actus appetitus & averfationis rationalis per essentiam & naturam animæ determinatæ non sunt (§. 940. Psychol. empiricæ.) sed rationem sufficientem in libertate ejusdem habent (§. 56. ontol. & 941. Psychol. empir.), atque ideo ab eadem dependent (§. 81. ontol.) Et hoc nomine in numerum actionum animæ liberarum recte referuntur (§. 12.) e. gr. Si volo cognoscere DEUM, libere hoc volo: Et enim dum voluntas fertur in cognitionem numinis, ferri etiam poterat in cognitionem objecti alterius cujuscunque, velut si quis

med.) quod quidam per ignorantiam peccant.

## CONCLUSIO.

*Non quævis ignorantia peccantis causa est peccati, sed illa tantum, quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati.*

RESPONDEO, \* dicendum, quod secundum Philosophum in VIII. Physic. (Text. 22.) causa movens est duplex, una per se, & alia per accidens; per se quidem est, quæ propria virtute movet, sicut generans est causa movens gravia & levia. Per accidens autem, sicut removens prohibens, vel sicut ipsa remotio prohibentis; & hoc modo Ignorantia potest esse causa actus peccati: est enim privatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, inquantum dirigit actus humanos. Considerandum est autem

tem

B

§. 24.

quis Geometra fuerit, in quadraturam alicujus curvæ vel rectificationem arcus ejusdem. Libertati adeo animæ tribuendum, quod actus voluntatis seu appetitus rationalis potius in cognitionem numinis, quam cognitionem quadraturæ curvæ ejusdem, aut arcus ejus rectificationem determinetur. Ex adverso, si nolo Musicæ addiscendæ operam dare; libere hoc nolo. Etenim non minus fieri poterat, ut vellem eidem operam dare, quam ut nolim. Anima igitur per essentiam & naturam suam ad hunc nolitionis actum determinata non est; sed ratio ejus sufficiens in libertate ejus quærenda, vi cujus potius musicam addiscere nolo, quam volo. Qui libertatem animæ in dubium minime vocat, nihil hic difficultatis deprehendet. Ceteris satisfacient, que de libertate animæ in nolendo & volendo demonstrata sunt (§. 942. Psychol. empir.)

*Post paragraphos plures de Voluptate sensuum, situ corporis, imaginatione, memoria tractantes, inserit rem novam sic:*

\* Hæc pars Articuli in D. Thomæ solet dici CORPUS; eo quod hic contineatur doctrina propria D. Thomæ, cum in antecedentibus sint aliorum obiectiones, & in sequentibus earum solutiones.



tem, quod ratio secundum duplicem scientiam est humanorum actuum directiva, scilicet secundum scientiam universalem, & Particularem: conferens enim de agendis utitur quodam syllogismo, cujus conclusio est iudicium seu electio vel operatio: actiones autem in singularibus sunt. Unde conclusio syllogismi operativi est singularis: Singularis autem propositio non concluditur ex universali, nisi mediante aliqua propositione singulari; sicut homo prohibetur ab actu parricidii per hoc, quod scit patrem non esse occidendum, & per hoc quod scit hunc esse patrem. Utriusque ergo ignorantia potest causare parricidii actum, scilicet & universalis principii, quod est quaedam regula rationis; & singularis circumstantiæ. Unde patet, quod non qualibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa tantum, quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati: unde si voluntas alicujus esset sic disposita, quod non pro-

## §. 24.

Actio positiva dicitur, quæ actu editur: Privativa autem est cessatio actionis essentiæ ac naturæ entis aliis convenientis. Quodsi actio fuerit libera, positiva; factum commissionis; privativa vero; factum omissionis appellatur. Actionem nimirum committere dicitur, qui, cum ab ea abstinere posset, eam edit: omittere autem, qui, cum edere posset, ab ea abstinet.

Digestio cibi in ventriculo actio positiva est. Quodsi vero quacunque de causa ventriculus fuerit depravatus, ut cibum indigestum digerere nequeat; digestio non facta actio privativa appellatur. Etenim per essentiæ & naturam suam ventriculus determinatus est ad cibum digerendum, atque adeo hæc actio essentiæ ac naturæ ejusdem convenit. Quodsi ergo quacunque de causa cesset, actio cessat essentiæ ac naturæ ejus convenientis. Atque adeo vi definitionis actio privativa est hæc cessatio. Equidem in Phisicis distinctione hac carere poteramus; sed eam in moralibus non esse negligendam, quod actiones privativæ à libertate animæ pendere queant, etiamsi positivæ nullo modo eidem subiciantur, patet ex inferius demonstrandis. Quodsi

prohiberetur ab actu peccati, etiamsi patrem agnosceret, ignorantia patris non est huius causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum; & ideo talis non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans, secundum Philosophum in III. Ethic. Cap. I. & 2.

*Ad Primum* ergo dicendum, quod non ens non potest esse alicujus causa per se: potest tamen esse causa per accidens, sicut remotio prohibentis.

*Ad Secundum* dicendum, quod sicut scientia, quam tollit ignorantia, respicit peccatum ex parte conversionis, \* ita etiam ignorantia ex parte conversionis est causa peccati, ut removens prohibens.

*Ad Tertium* dicendum, quod in illud, quod est quantum ad omnia ignotum, non potest ferri voluntas: sed si aliquid est secundum aliquid notum & se-

Quodsi quis vinum immodice haurit, cum etiam nullum bibere aut modice bibere posset; actionem committere dicitur, & vini immodicus haustus factum commissionis est. At si quis vinum bibere recusat, cum bibere posset; actionem omittit, & actus bibendi cessatio factum omissionis est, vel si quis vinum modice bibit, cum immodice haurire posset; ommissio haustus immodici denuo factum omissionis est. Similiter qui alterum interficit, homicidium committit, estque homicidium factum commissionis, qui vero inimico non nocet, cum posset, actionem omittit, & ejus ommissio factum omissionis est. In moralibus non minus factorum omissionis, quam commissionis habenda est ratio, ita ut quæ de actionibus liberis in genere demonstrantur, de utroque accipienda sint, & factum omissionis sub facto simpliciter dicto subintelligatur, tanquam species sub genere. Ita factum alienum nobis non modo imputatur, quod suademus, vel ad quod alterum instigamus; verum etiamsi, non dissuademus, vel alterum ab eodem dehortari negligimus, ubi idem dissuadere, vel

B 2

vel

\* Qui hanc objectionem ex Quæst. LXXIV. Art. I. petitam profundius intelligere cupit, debet adire illum articulum, propterea à D. Thoma supra allegatum.



cundum aliquid ignotum, potest voluntas illud velle; & hoc modo ignorantia est causa peccati, sicut cum aliquis scit hunc quem occidit, esse hominem, sed nescit eum esse patrem: vel cum aliquis scit, aliquem actum esse delectabilem, nescit tamen, eum esse peccatum.

## Articulus II.

Utrum ignorantia sit peccatum.

**A**D SECUNDUM sic proceditur. Videtur, quod ignorantia non sit peccatum. Peccatum enim est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem DEI æternam, ut supra habitum est (Quæst. XVII. Art. VI.) Sed ignorantia non importat aliquem actum, neque interiorem neque exteriorem. Ergo ignorantia non est peccatum.

2. Præterea, Peccatum directius opponitur gratiæ quam scientiæ; Sed privatio gratiæ non est

vel alterum ab eodem dehortari debebamus.

### §. 25.

Si quas ideas, quarum reproductio in potestate tua est, longo tempore reproducere nolis, vel attentionem ab objecto, quod percipis, statim avertis, cum eam in eodem retinere posses, vel ejus, quod semel percepisti, ideam reproducere negligis, cum reproducere posses; oblivio actionibus liberis accensetur. Etenim in omni hypothese propositionis præsentis oblivio à libertate animæ pendet (§. 351. 352. Psychol. rat.) Quoniam oblivio consistit in impotentia ideas reproductas recognoscendi (§. 215. Psychol. empir.) & includit impotentiam reproducendi ideas rerum antea perceptarum (§. 216. Psychol. empir.); eidem tribuenda est cessatio actuum imaginationis (§. 92. Psychol. empir.) atque memoriæ (§. 175. Psychol. empir.), consequenter ea utpote à libertate pendens per demonstrata est factum omissionis (§. 24) Quamobrem cum liberis actionibus accensenda sit, quæ à libertate pendet (§. 12.); oblivio quoque in hypothese omni propositionis præsentis actionibus liberis accensenda venit.

Nimi-

est peccatum, sed magis pœna quædam consequens peccatum: Ergo ignorantia, quæ est privatio scientiæ, non est peccatum.

3. Præterea, si ignorantia est peccatum, hoc non est, nisi in quantum est voluntaria: Sed si ignorantia sit peccatum in quantum est voluntaria, videtur peccatum in ipso actu voluntatis consistere magis, quam in ignorantia: Ergo Ignorantia non est peccatum, sed magis aliquid consequens ad peccatum.

4. Præterea, Omne peccatum per pœnitentiam tollitur, nec aliquod peccatum transiens reatu remanet actu, nisi solum originale: Ignorantia autem non tollitur per pœnitentiam, sed adhuc remanet actu, omni reatu per pœnitentiam remoto: Ergo ignorantia non est peccatum, nisi forte sit originale.

5. Præ-

Nimirum quod cesset actus imaginationis atque memoriæ, ad eoque locus sit oblivioni, tibi tribuere debes, quatenus in potestate tua erat efficere, ne cessaret. Sane si quis sibimetipsum digitos amputaret, ut ad castra sequenda esset ineptus; nemo non agnoscit cessare actiones ad functiones militis obeundum necessarias voluntate libera, atque adeo illorum actuum omissionem etsi necessariam, si in se spectetur, liberis actionibus annumerandam esse, seu pro factis omnis liberis recte haberi (§. 24.) Quidni igitur etiam actus imaginationis & memoriæ, in se spectati necessarii, actionibus liberis, seu factis omissionis liberis annumerandi, ubi imaginationem & memoriam libere ineptam reddis, ut functiones suas in dato casu obire minime queant? Oblivio plurimum influit in actiones hominum liberas, & magnum momentum in eo situm est, ubi de imputatione agitur, ut constet, quandonam illa pro libera habenda. Nemo igitur sibi persuadeat inanes esse subtilitates\*, quæ de oblivionis a libera voluntate dependentia inculcantur. Doctrina de imputatione in moralibus ardua est, & utilitatis

B 3

maxi-

\* Hoc nullus vel Cerdo sibi persuaserit, nec ullus admonitione Wolffii indigebat. Demonstratio ejus bona, quia a sua methodo recedit.



5. Præterea, si ipsa ignorantia sit peccatum, quamdiu remaneret ignorantia in homine, tamdiu actu peccaret: Sed continuo manet ignorantia in ignorante; Ergo ignorans continue peccaret; quod patet esse falsum, quia sic ignorantia esset gravissimum peccatum. Non ergo ignorantia est peccatum.

SED CONTRA, Nihil meretur pœnam, nisi peccatum: Sed ignorantia meretur pœnam, secundum illud I. Corinth. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Ergo ignorantia est peccatum.

### CONCLUSIO.

*Ignorantia quæ studio superari non potest, atque ob id Invincibilis dici solet, nullum est peccatum, sed tantummodo Vincibilis, si sit eorum, quæ quis scire tenetur, non illorum, quæ scire non tenetur.*

RESPONDEO dicendum, quod Ignorantia in hoc a Nescientia differt, quod *nescientia* dicit simplicem scientiæ *negationem*:

maximæ, quemadmodum suo loco patebit. Quæcumque igitur ad eam intimius inspiciendam cognita necessaria sunt, non minus momentosa atque utilia haberi debent.

### §. 26.

Si quis imaginationem & memoriam extendere negligit, cum posset; actus ea de causa cessantes sunt factis omissionis accensendi. Etenim si imaginationem & memoriam extendere negligis, cum exercitio extendere valeres; in potestate tua positum erat efficere, ne actus imaginationis atque memoriæ in dato casu cessarent. Cessant igitur libera tua voluntate (§. 941. *Psychol. empir.*) Quoniam itaque liberæ actuum cessationes sunt actiones privativæ liberæ, consequenter facta omissionis (§. 24.); quin actus imaginationis & memoriæ ea de causa cessantes sint factis omissionis accensendi, dubitandum non est.

Eadem hic valent, quæ ad propositionem præcedentem annotavimus. Dijudicatu tamen hic difficilius, num extensio imaginationis atque memoriæ fuerit in potestate ejus, penes quem actus inde proficiscentes cessant: id quod probe notandum, ne in applicanda pro-

*nem*: unde cuicumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas: secundum quem modum Dionysius in angelis nescientiam ponit VII. C. Cælestis hierarchiæ. *Ignorantia* vero importat scientiæ *privationem*, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire. Horum autem quædam aliquis scire tenetur, illa scilicet, sine quorum scientia non potest debitum actum recte exercere: unde omnes tenentur communiter scire ea, quæ sunt fidei, & universalis juris præcepta: singuli autem ea, quæ ad eorum statum vel officium spectant. Quædam vero sunt, quæ etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur; sicut theoremata geometriæ, & contingentia particularia, nisi in casu. Manifestum est autem, quod quicumque negligit habere vel facere, id quod tenetur habere, vel facere peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum; non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat

propositione præsentis facile a vero aberres.

### §. 27.

*Ignorantia* est absentia notionis, sive rei simpliciter apprehendendæ serviat, sive iudicio cuidam respondeat.

E. gr. si quis nunquam vidit psittacum, nullam quoque ideam, nullam notionem ejus habet, consequenter nec in eam attentionem suam convertere valet, ac ideo fieri nequit, ut eam simpliciter apprehendat (§. 33. Log.) Ponamus porro, eum nec vidisse unquam. nec ab aliis audivisse, quod psittacus saccharo vescatur. Deest igitur ipsi notio & idea, quæ huic propositioni respondet: Psittacus saccharo vescitur, consequenter notio abest, quæ iudicio vero respondet (§. 50. Log.) In casu primo ignorare dicitur, quid sit psittacus, seu quænam avis psittaci nomine indigitetur; in casu altero autem ignorare, quod psittacus saccharo vescatur. Sunt qui ignorantiam definiunt per scientiæ negationem. Vid. Godenius in Lexico Philosophico. Enimvero vocabulum scientiæ tum sumitur laxiori sensu pro qualibet notitia. Quamobrem, cum eidem significatum strictiorem tribuerimus (§. 594. Log.)